

16.  
17.  
18.  
19.  
20.  
21.  
22.  
23.  
24.  
25.  
26.  
27.  
28.  
29.  
30.  
31.  
32.  
33.  
34.  
35.  
36.  
37.  
38.  
39.  
40.  
41.  
42.  
43.  
44.  
45.  
46.  
47.  
48.  
49.  
50.  
51.  
52.  
53.  
54.  
55.  
56.  
57.  
58.  
59.  
60.  
61.  
62.  
63.  
64.  
65.  
66.  
67.  
68.  
69.  
70.  
71.  
72.  
73.  
74.  
75.  
76.  
77.  
78.  
79.  
80.  
81.  
82.  
83.  
84.  
85.  
86.  
87.  
88.  
89.  
90.  
91.  
92.  
93.  
94.  
95.  
96.  
97.  
98.  
99.  
100.



Q. D. B. V.

29

# Problema Juridicum

De

Jure Pignoris perdurante  
in Domo exusta et  
reædificata.

Von fortwährendem

**Wesand = Recht,**

Auf einem abgebrantem und  
wieder aufferbauetem

**Haufe,**

Ad illustrationem L. 29. §. 2. D. de Pignoribus  
& L. 21. D. de pignorat. act.

Excussum

à

JOHANNE SAMUELE HERINGIO,

J. U. D. & Prof. Publ. Regii Gymn. Carolini, Assess. Judic. Eccles.  
ad D. Mariæ, & Regii Dicast. Advocato Ordinario.

\*\*\*\*\*

SEDINI, typis JOH. FRID. SPIEGELII, Reg. Regim. & Gymn.

Typographi, ANNO MDCCXXIII.



I. N. J.

S. I.



Um termini in themate proposito per se satis clari & perspicui sint, supervacaneum duxi prolixæ eorundem explanationi diutius immorari, eoque ipso tædium B. L. creare; Igitur statim ad rem progredi placuit, casum practicum sequentem in modum formando.

*Casus.* Sempronia Cajo ultra duo millia thalerorum ad emendam certam domum mutuo dedit, constituta sibi in istâ domo hypothecâ & impetrata ex intervallo etiam judiciali inscriptione. Domus ista paucos post annos incendio consumitur, ut saltem area & rudera quædam murorum adhuc supermanserint, quoad pretium suum summam creditam non attingentia. Cajo reædificanti domum Sempronia ex commiseratione ob perpeffam calamitatem incendii, de sorte debita remittit summam haud modicam. Cajus post reædificatam domum pretiosiore longe pristina, tandem valde obætatus moritur. Post obitum ejus excitato concursu disputant inter se creditores de prioritate. Quæritur, quid juris circa prælationem heredum Semproniæ ex testamento succedentium fortemque cum usuris repetentium?

*Resolutio.* In classe secunda creditorum sunt locandi inter illos, qui præter hypothecas jus prælationis ex speciali privilegio

A 2

habent,

habent, & quidem ita ut hoc loco integram sortem cum usufructu de pretio domus in exusta area reaedificata recipere debeant, non obstante quod pretium areae & murorum statim post incendium per artis peritos aestimatorum sortem & usufructus debitas haud exaequaverit. Minime vero cum residuo pretium istud excedente ad classem IV, creditorum remittendi sint.

§. 2.

In contrariam sententiam forte quemquam movere possent sequentes rationes. (1.) Quod pignus seu hypotheca sit jus reale ipsam rem ita afficiens, ut extincta prorsus re corporali etiam jus eidem inhærens extinctum esse censeatur *L. 8. pr. D. quibus modis pignus vel hypotheca &c.* si quidem non entis nullae sunt affectiones. Domus autem pristina cui Semproniae hypotheca inhærebat, incendio in tantum fuerit consumpta, ut nil nisi area, cellae, & muri quidam supermanserint; Adeoque aedificium novum quod à Cajo in exusta area novis sumptibus iisdemque magnis restauratum supponitur, pro pristina domo non sit reputanda, hinc nec ad hoc aedificium quatenus novum est jus pignoris olim constitutum possit extendi, per consequens Semproniae heredes de pretio novae reaedificatae domus plus haud possint repetere, quam area, muri, & cellae, ceteraque rudera post ruinam incendii à peritis forte aestimata. Quod si istud pretium hoc modo aestimatum non sufficiat ad exsolutionem integrae sortis à Semproniam Cajo creditae, & usufructuum debitarum, heredes Semproniae ad quartam classem esse ablegandos intuitu residui adhuc petendi, quippe cujus ratione pignus in domo reaedificata non amplius superfit. (2.) Quod quando post combustionem domus est restituta, usufructus quem quis antea in domo combusta habuit non redintegretur. *L. 36. pr. de usu fructu & L. 10. §. 1. & 7. quibus modis usufructus amittatur.* Cum tamen usufructus sit servitus, servitus autem jus reale non minus ac pignus.

*L. 30.*

*L. 30. D. de act. noxalibus.* (3.) quod Cajus forsitan aliorum creditorum pecunia restauraverit aedes combustas, adeoque iniuria videatur fieri illis creditoribus, si quando Semproniae heredibus concederetur de pretio domus restauratae etiam istud residuum sortis sibi debitae repetere, quod excedit pretium aerae, murorum &c. statim post combustionem prioris aedificii aestimatorum. Quoniam viderentur Semproniae heredes hac ratione locupletiores fieri, cum damno & detrimento posteriorum creditorum quorum forte pecunia restauratio domus peracta. Contra *L. 206. de R. J.* (4.) Quod mutatione rei pignorate finiat pignus, *L. 18. §. pen. D. de pignor. act.* §. 3.

*Rationes decidendi.* Verum enim vero, his non obstantibus adhuc firmo statuto Decisum §. 1. allatum. Nam (1.) certi juris est, quod is qui ad emendam certam domum mutuo dedit pecuniam, & sibi de hypotheca expresse prospexit, in classe secunda locum prioritatis obtineat inter creditores praeter hypothecas jus praelationis ex speciali privilegio habentes, prout in Pomerania occidentali disponit *Classificatio Creditorum* de anno 1673. pag. 5. De Saxonia idem testatur *Dn. Menckenius in addit. ad Struv. jurispr. Forens. L. 3. T. 5. § 5. num. 3.* De Marchia Brunnem. in Tract. de Concurſu Creditorum. *Cap. 5. §. 40. add. L. 7. C. qui potiores in pignore, & L. 17. C. de pignor.* Quod autem (2.) jus pignoris in domo quadam ante combustionem constitutum, non solum in aera sive loco aedium exustarum einet *Brand-Städte*, sed & in domo quoque postea in hoc loco exstructa seu reaedificata adhuc duret, a pertis verbis docet *L. 29. §. 2. D. de pignor. ibi: Domus pignori data exusta est, eamque aream emit Lucius Titius & exstruxit: quaesitum est de Jure pignoris? Paulus respondit: pignoris persecutionem perseverare: & ideo Jus Soli superficiem secutam videri, id est, cum jure pignoris.* *L. 21. D. de pignor. act. ibi: Domo pignori data, & area ejus te-  
nebi-*

nebitur: est enim Pars ejus. Et contra Jus Soli sequetur ædificium. Nam superficie ibi exstructa non interit pignus, sed potius augetur area, quippe exstructa domus est illius cujus area. § 30. *f. de R. D. L. 7. §. 10. D. de A. R. D. Mev. P. 3. D. 303. n. 2. & 3. atq;* hac ratione melius est jus creditoris redditū, quia hypotheca quoq; censetur in domo noviter exstructa continuata, nam superficies jus soli sequitur, & ejus est conditionis cujus solum. *d. L. 29. §. 2 de pignor.* combustis igitur ædibus opignoratis, manet hypotheca in area *L. 16. §. 2. D. de pignor.* & quicquid areæ postea in ædificatur pignori cedit. *Struv. Ex 26. Th. 49. Excell. Dn. Wildvogel. in Disput. de Jura ædium exustarum Th. II.* modo ab ipso Debitore ædificium in ista area fuerit exstructum: Nam si tertius bona fide ibidem ædificet, non cogitur is creditoribus ædificium restituere, nisi sumtus refundantur in exstruktionem erogati. *d. L. 29. §. 2. de pignor. ibique Brunmann. conf. Dn. D. Kolsbornii Corpus juris Typicum Lib. 29. Tit. 6. Quibus modis pignus solvatur.* Tanto magis autem in casu præsentis etiam in domo noviter restaurata hypotheca per durat, quoniam hypotheca publica & judicialis ex intervallo per inscriptionem judicalem impetrata, generaliter omnia bona Debitoris tum temporis præsentia imo & futura affecit, ad quae sine dubio etiam domus post combustionem reaedificata pertinet.

§. 4.

Ad rationes dubitandi quod attinet §. 2, in medium prolatas, hæc tanti valoris non sunt, ut convellere queant sententiam nostram. Nam ad (1) loquitur *L. 8 pr. D. quibus modis pignus solvitur. de totali rei corporalis interitu*, ita ut nihil prorsus sit reliquum. v. gr. Si ædes per terræ motum ita diruantur, ut ne quidem gleba areæ supersit, & tunc omnino hypotheca expirat: Si vero ædes comburantur, area tamen adhuc extat: nam oppignoratis ædibus videtur hypotheca constituta non solum in superficie, sed & in area *L. 16. §. 2. D. de pignor.* quia ædes non sunt sine area, & area dicitur pars ædium *L. 23. D. de usu-*

*Responsio ad rationem dubitandi primam.*

*usucap.* & pignoris natura est, ut totum pro debito toto, & totum pro qualibet debiti parte, & rursus quælibet domus pars pro toto debito teneatur arg. *L. 3. §. ult. D. qui pot. in pignore.* quippe pignoris natura est individua *L. 65. D. de evict. Dn. Wildvogel. dict. disputat. Th. II. circa finem.*

§. 5.

*Ad secundam.*

Ad rationem 2. dubitandi quæ desumpta ex *L. 10. §. 1. & 7. D. quibus modus usufructus amittatur. & L. 36. pr. de usufructu.* Rf. Disparem esse rationem usufructus & pignoris. Nam (1) usufructus, si quando ædificium incendio consumptum est, expirat, ita ut ne quidem in area perduret. *§. 3. J. Usufructu. L. 5. §. 2. D. quibus modis usufruct. amitt.* Pignus autem sublato licet ædificio adhuc in area perdurat. *L. 21. D. de de pignorat. act. L. 29. §. 2. D. de pignor.* (2.) Usufructus in tali re constitutus est, quæ certam formam habet; ædibus autem his semel extinctis, extinguitur usufructus in istis ædibus, & licet novæ ædes postmodum exstruantur, istæ tamen non sunt illæ priores: Nec facit aliquid ad rem qualitatis similitudo, quia in usufructu requiritur præcise identitas formæ, ut loquitur *Gothofredus ad dict. L. 36. pr. de usufructu.* At vero ad durationem pignoris non præcise requiritur identitas formæ, nec mutatio circa superficiem contingens pignus perimit, præsertim si augeat rem pignoris nexui subjectam. vid. *infra §. 7. add. L. 21. D. de pignorat. act.* (3.) Usufructus est servitus personalis & quidem odiosa intuitu proprietarii, hinc jura priora deprehendimus ad coangustandam ejus durationem, neque usufructus est jus ad heredes transitorium, quia morte usufructuarii expirat *§. 3. J. de usufructu.* At vero hypotheca sive jus pignoris etiam ad heredes transit, quia per contractum quo hypotheca in securitatem creditoris constituitur, etiam heredibus ejus simul consulitur. *L. 9. D. de probat. & L. 13. C. de contrahenda Stipulatione.* Hinc quoque ejus perdurationi & conservationi jura magis fauent. (4.) Constat ex *L. 20. §. 2. D. de S. P.*



**S. P. U.** Quod utilitate & æquitate sic exigente servitutes reales quæ antea in domo combusta fuere, restituto aedificio reviviscant. Quidni ergo etiam pignus revivisceret, ad majorem creditoris securitatem? cum hac ratione fides publica vel maxime conservetur, commercia tutius ineanant, & cives probi facilius inveniant qui necessitatibus suis sublevandis suppeditent pecunias ceu nervum rerum gerendarum, scientes etiam restituta post incendium aedificia sub pristino pignoris nexu permanere. (5.) Deniq; non valet consequentia, si quis ita velit argumentari: Ususfructus est jus reale, non minus quam pignus, ergo etiam quoad perduratum par utrobique debet esse ratio. Nam Rf. Similia quæ in aliquo tertio conveniunt, ultra hoc non sunt extendenda, præsertim quando manifesta. Legis dispositio in contrarium reperitur.

§. 6.

Ad rationem dubitandi 3. respondemus. Facile nos concedere, si aliqui ex reliquis creditoribus liquido per contractum mutui seu chirographum ut vocant docere possint se Cajō pecuniam suam in eum finem post incendium *nominatim* mutuo dedisse, ut ope hujus in area exusta novum aedificium exstrueret, tunc separationem inter hos creditores & Sempronix heredes ita esse faciendam, ut hi ratione areae præferantur facta æstimatione ipsius areae & murorum qui post incendium permanserunt, isti creditores autem in noviter exstructa superficie prærogativam obtineant, quemadmodum Dni. J. C. Jenenses ita pronunciarunt ad requisitionem Senatus Mülhusani die 18. Nov. 1691. teste *Dn. Wildvogel cit. Disput. Theol. 13.* At vero ubi liquido non apparet ejusmodi creditores adesse, qui mutuum ad refectionem aedium nominatim datum probare queant, tunc sane cessabit prærogativa & per consequens etiam modo dicta separatio per *L. 5. in fin. D. qui potiores in pignore. Struv. Ex. 44. §. 49. Conf. Constitutio Ducis Johannis Friderici de anno 1596. Tit.*

*Tit. de Prioritate. n. 2.* Hinc si eo nomine pecunia mutuo non data, licet postea probari possit, illam pecuniam in fundi utilitatem esse conversam, non locum habebit prælatio *L. 5. §. 17. D. de tribut. act. Richter de privileg. Creditorum cap. 3. sect. 3. n. 12. Stryck. ad Brunneinan. de Concurſu Creditorum c. 5. §. 39. in notis ad verbum: Nominatim. Mew. P. 5. D. 84. num. 4.* Et si quod damnum forte hac ratione sentiant creditores posteriores, id sua culpa sentire non videntur. per *L. 203. de R. 7.* siquidem curiosus debet esse creditor quo vertatur, & in quem finem credatur pecunia *L. 3. §. 9. D. de in rem verso.* Quippe quæ ex momento contracti mutui transit in dominium Debitoris, *L. 2. §. 2. D. de R. C.* De moribus Pomeraniæ nostræ occidentalis specialiter notandum, quod mutuum ad ædificationem, conservationem & reparationem ædium, præeprimis ad reædificationem incendio exustarum datum juxta *Classificationem de anno 1673. §. 4. & 5.* in Prima Classe septimo loco veniat collocandum, etiam ante pia corpora. Nam hac ratione non modo decus urbium conservatur, sed & ipsis creditoribus aliis prospicitur, quo nimirum & hi facilius debita sua consequi valeant,

§. 7.

Denique (4.) non obstat Decisio nostro §. I. allato, quod mutatione rei pignoratæ finiatur pignus *L. 18. §. pen. D. de pignorat. act.* Nam opponimus *L. 16. §. 2. D. de pignoribus.* ex qua apparet mutationem rei oppignoratæ non semper perimere hypothecam. Pro conciliandis igitur hisce textibus, distinguimus cum *Cujacio L. 23. obs. 22.* mutationis genera. Refert utrum forma potentior sit materia eamque extinguat, an vero non extinguat, sed adjiciat duntaxat aliquid, vel imminuat, revertive ad priorem materiam possit. Mutatio quæ parit novam speciem, & priorem perimit quæ pignori nexa erat, pignus quoque tollit, & hæc mutatio fit, cum ex materia, ex cupressu, ex pinu, fit navis vel arca. *L. 26. D. de acquir. rerum Dominio.* Cupressus igitur vel pinus esse

esse definit. Idem si ex sylva fiat novale, si ex lana oppignorata fiat vestimentum, si ex marmore oppignorato fiat statua. Et de hoc mutationis genere capienda *L. 18. §. pen. de pignor. act. vid. Wisfenbach ad Tit. D. quibus modis pignus & c. Th. 37.* Mutatio autem quæ rem auget, ut si loco puro imponatur ædificium, vel quæ rem minuit, ut si ex domo fiat hortus, vel si domus ad aream redigatur, pignus non perimit, quia nec res quæ pignori nexa est, ejusve portio maxima scilicet area perimitur. *L. 21. D. de pign. act. L. 29. §. 2. de pignoribus.* Atque de hoc mutationis genere intelligenda *L. 16. §. 2. D. de pignoribus. vid. Müller ad Struv. Ex. 26. §. 49. lit. K. & L. Struv. in Evolut. ad Ex. 26. §. 49. ad verba: vel ipsa rei substantia:*

§. 8.

Cum igitur refutatis rationibus in contrarium tendentibus, firma sit reddita Sententia nostra, placet adhuc coronidis loco addere tres observationes notatu dignas ad §. 3. & 7. pertinentes: Nimirum (1.) quod jus prælationis in secunda classe non competat ei, qui in emtionem domus pecuniam credidit, nisi expressa conventionem sibi prospexerit de hypotheca *L. 7. C. qui potiores in pignore. L. 17. C. de pignoribus.* Nec dici potest pretium loco rei succedere *arg. L. 48. §. fin. D. de furtis, Brunmann de Concursu Credit. Cap. 5. §. 40. add. Classificatio Pomeran. de anno 1673. p. 5. Ibi: Und sich zu ihrer Versicherung dieselbe zum special Unterpfind haben einsetzen lassen.*

Hinc illi, qui ad emendum prædium mutuo dant nulla, constituta hypotheca, personali tantum privilegio fruuntur per *L. 26. & L. 34. D. de rebus autorit. Jud. possid.* Et talis creditor tantum chirographariis creditoribus præfertur *Berlich. P. 1. Concl. 65. n. 152.* Deficit enim hypotheca expressa, nec tacita ullibi fingenda ubi lex tacet. *Brunm. dict. loc. §. 41. ibique Stryck. in annot.*

(2.) Quod hoc privilegium prælationis non competat iis, qui post factam jam emtionem, tantum ad exsolutionem

B

pretii

pretii pecuniam crediderunt. *Carpz. P. 1. C. 28. D. 108. Richter. cit. loco. sect. 4. num. 24. Menckenius in addit. ad Struv. cit. locop. m. 173.* Conf. *Clasificatio Creditorum* de anno 1673. p. 5. verbis: nicht aber also welche nach getroffenen Kauff zu Abzahlung der Gelder angeliehen, als welche nach dem Unterschied, ob sie sich das verkauffte Gut haben verhypotheciren lassen, zur dritten oder vierten Classe gehören.

(3.) Quod is qui ad refectionem ædium exustarum nominatim pecuniam mutuo dedit, omnino gaudeat privilegio prælationis, & si expressam hypothecam sibi in domo ista constitui haud curaverit. *Brunmann de concursu Creditorum Cap. 5. §. 39. & 40. Carpz. P. 1. C. 28. D. 107. n. 9. add. Clasificat. Pomeran p. 4. ibi:* die erste Classe ist derer Schulden, welche durch die Rechte und Gewonheiten ein sonderbares privilegium und Vorzug erhalten, NB. Ob gleich dafür kein Unterpfand haßtet, und gehören darunter zu erst die Unkosten so auf den Concurs-Process &c. Zum Siebenden, welche zu Erbau- und Erhaltung oder reparation der Häuser &c. *Diversa namq; est ratio inter creditorem pecuniam ad refectionem, & creditorem ad emtionem ædium mutuo dantem, cum ad refectionem domus credita pecunia propterea fit privilegiata, quod salvam fecerit totius pignoris causam L. 6. D. qui pot. in pignor. & præterea autoritas Legis hoc privilegium solum ad refectionem credenti concessit L. 5. D. qui pot. in pignore. L. 25. D. de rebus creditis.* scil. quod etiam absque constitutione hypothecæ expressæ prælatione frui debeat. *Dn. Wildvogel cit. loc. Th. 14.* Siquidem tacita hypotheca huic privilegio est annexa. *Mev. P. 5. D. 84. num. 1.*

§. 9.

*Refesio non-  
nullarum  
questionum  
practicarum  
circa hoc ar-  
gumentum.*

Quid vero dicendum, si pecunia quidem nominatim ad ædium refectionem credita, sed quod in eam insumta sit liquido & plane doceri haud possit, ane & tunc Creditori privilegium prælationis competet? R. f. Aff. si modo creditor probare

bare posfit, quod tempore contractus res indiguerit refectione & postea sit resecta. *L. Lucius Titius 7. pr. D. de exercitoria act. Joach. Chemnitius, quondam Consiliarius Electoralis Brandenburg. & Consistorii Præses, in disertat. sua inaugurali de Jure Prælationis creditorum Francofurti d. 15. Dec. anno 1624. habita num. 177. add. Classificat. Pomeran. p. 5. verbis: Wann es dazu angewandt zu seyn von den Creditoren NB. glaublich gemacht. Ergo non requiritur ein völliger Beweis daran weiter nichts mehr auszusetzen: Sed saltem demonstratio per conjecturas, puta si creditor doceat, ædes reparatione indignuisse & postea fuisse resectas *Carpz. P. 1. C. 28. D. 106. Quod si ipse Debitor tempore obligationis in instrumento asserat de causa in quam creditum accepit, illa assertio fidem facit, donec contrarium probetur L. ult. pr. D. de exercitoria actione. Ubi autem instrumentum finem crediti non habet, & postea tamen debitor asserit se in refectionem accepisse & impendisse, tunc hæc assertio haud similiter fidem facit, quia ob omiffam in instrumento causam suspecta est. *Mev. P. V. D. 84. n. 6. Quod si pecunia credita est ad refectionem, sed in literis obfignatis de eo nihil dictum scriptumve, hoc non est impedimento prælationis privilegio, dummodo probetur sic credita & insumta pecunia, quia scriptura non est de obligationis aut crediti substantia, sed ad fidem pertinet, quæ si aliunde habebitur eam abesse nihil nocet. *L. 4. D. de fide instrum. *Mev. d. l. num. 5. ad quam probationem tamen sola assertio debitoris tanquam suspecta non sufficit, sed ulteriori probatione opus est.*****

## §. 10.

Quid autem si pecunia nominatim ad ædificii restitutionem directò ipsi domino ædium sit mutuo data, sed *constet illam hunc in finem non esse insumtam?* Rf Tunc creditor prælatione non gaudebit, per *L. 5. D. qui potiores in pignore, ubi expref-*

expresse requiritur, *ut in rem istam conservandam vel reficiendam impensum sit.* Ex quibus verbis luculenter apparet, quod non sufficiat necessariam esse refectionem & nosse pecuniam se in eam rem credere sed & eam impensam esse *re ipsa* oporteat. *Gothofred. ad. d. L. 5. Carps. P. 1. C. 28. D. 109. Gail. L. 2. Obs. 12. n. 4. Mynsing. Cent. 1. obs. 60. Struv. Ex. 44. b. 49.* Nam si liquido apparet non esse *impensam* pecuniam, dici nequit, quod per illam salva totius pignoris causa facta sit, in quo tamen consistit ratio & fundamentum privilegii prælationis. *L. 6. pr. D. qui potiores in pignore.* Unde non negligendum monitum *Gothofredi ad L. 7. de exercit. act.* Curiosum esse oportere creditorem, quoties pecuniam ad refectionem credit. Equidem *Dn. Consil. Inim. Wildvogel in cit. Disput. Th. 12* tanquam dissentientem allegavit *Dn. Mevium P. 5. D. 34. n. 2.* eumque prolixè refutare conatus est argumentis sane multum ponderis habentibus. Sed quamvis prima fronte appareat *Mevium d. loc. num. 2.* loqui de tali casu, ubi credita fuit pecunia ad refectionem, *at non insumta.* Attamen si verba finalia dictæ Decisionis in textu num. 5. *dummodo probetur sic creditum NB. & insumtum* accurate pensitemus & cum tenore *L. 7. pr. D. de exercitoria act.* quam *Mevius* allegavit conferamus, videtur summus ille Germaniæ Jctus magis intendere voluisse ejusmodi casum ubi creditor *liquido probare nequit* pecuniam ad refectionem insumtam *Vid. §. preced.* quam hunc nostrum casum, ubi præsupponimus liquido aliunde constare pecuniam creditam ad refectionem non esse insumtam, pro cuius decisione negativa solide pugnat *Excell. Wildvogel. Antecessor Jennisis famigeratissimus, Fautor ac Promotor studiorum meorum, ætatem de venerandus.*

§. II.

Porro si Domus refecta, in quam impensæ factæ, iterum incendio vel ruina perimatur, cessat prælatio, quia tempore concursus melior creditorum causa ita non est facta. *Stryk ad Brunmann. C. 5. §. 39. verb. reperitur: Chemnitius cit. loco n. 178. add. Constitutio Ducis Joh. Friderici de anno 1596. Tit. de Prioritate n. 2. ibi: solches auch noch vorhanden.* Similiter non gaudet Creditor jure prælationis, si is majorem summam quam ad rem reficiendam necessaria fuit mutuo dederit, tunc enim non in solidum, sed in ea tantum parte, quam revera necesse fuit impendi in refectionem rei, habet prærogativam. *L. 7. pr. D. de exercit. act. circa finem.*

S. D. G.







00 A 6470

ULB Halle

3

002 931 303




11

VI 17







B. V.

29

# Juridicum

De  
is perdurante  
exusta et  
lificata.

twährendem

= **Recht,**

gebrandtem und  
ufferbauetem

ause,

29. §. 2. D. de Pignoribus  
de pignorat. act.  
xcullum

á  
**MUELE HERINGIO,**  
Gymn. Carolini, Affest. Judic. Eccles.  
Dicast. Advocato Ordinario.

\*\*\*\*\*  
SPIEGELII, Reg. Regim, & Gymn,  
ANNO MDCCLXXXIII.

